DE

SCIRRHO UTERI

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU

ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE V. M. MARTII A. MDCCCXXII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES D'ALQUEN

ARNSBERGA - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS,

B. G. SCHRAKAMP MED. DR.

H. WOERTELER MED. DD.

P. ROLING MED. STUD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

De Scirrho Uteri.

Omnium Organorum gravissimum, dignissimumque in corpore muliebri est uterus; de quo non aliquis dubitabit, qui magnum eius influxum in totum corpus ab initio pubertatis usque ad decrepiditatis stadium, tum in statu gravido tum ingravido, arteriarum, venarum, nervorumque illi distributorum copiam, et dignitatem consideraverit. Ea propter iam Aristoteles uterum: naturae vocat campum. —

Propter huius organi dignitatem et multas et diversas affectiones observamus morbosas. — mox corporis alia pars vel systema morbose affecta uterum in consensum trahunt, et diversas aegritudines gignunt; mox uterus ipse morbo primaria laborat et symptomata ex eo profluunt. — Certe! est infinitus morborum numerus, qui hanc organismi muliebris partem afficere solent; et sicut cultura generis humani magis aucta innumerabiles produxit morbos, sic et feminis, praecipue nobilibus reflexiones morbosae in uterum copiosiores factae et maioris momenti sunt.

sint nunc vita sedentaria, motus impediti defectus, vestes, corpori enervato mox levitate et tenuitate, mox oppressione obnoxiae, excessus in venere, praematura praecipue venus, manustrupatio, abusus rerum excitantium, in specie aromatum selectorum, quae causas proximas provocant huius metamorphoseos, sint vel universalis et corporis et mentis mollities - unde imaginatio exaltatavel similia, quae saepius ad morbos uteri ponunt diathesin, satis medicus practicus summam morborum scit et videt, qui diverse et saepissime nobile hoc turbant et cruciant orgánum. —

Hic minime est locus, omnes uteri morbos pertractandi, unum modum proprius aggredi licebit, et quidem morbum qui ob periculum, non solum uteri functioni sed etiam vitae ipsi minans, certe unius cuiusque medici contemplationem potentissime provocat. si autem medici, doctrina et sagacitate maxima insignes, hunc statum uteri morbosum non modo in diagnosi sed - etiam in medela difficillimum declarant, tiro ad huius morbi naturam nec non therapiae descriptionem aggrediens, benevolentiam lectoris prius postulare debet.

Definitio.

Verbum scirrhus a graeca voce σχιῤῥός abducendum, quae indurationem significat, quae naturæ scirrhi statum induratum alicuius partis semper supponit, sed quaeque induratio non est scirrhus nuncupanda. —

notum est post inflammationes saepe lympham plasticam in partibus affectis extravasari, quae saepe metamorphosi subiicitur et recedit, sed interdum per-

manet, et tali modo indurationem gignit. Quod in omnibus partibus fieri licet, quaeinflamantur, unde semper praemissae inflammationes, et omnia has producentia, Indurationum causam praebent.

„Lympha sanguinis morbosa vasorum actione immutata, vel in his ipsis aut in cellulosa vicina intercepta et stagnans, in polyposam interdum ac callosam duritiem degenerat, cum ambientium membranarum canaliumque superficie concrescit; cavitates opplet, infarcit, humorumqne in illis ac in vicinis partibus circulationem delet omnem, aut magna ex parte remoratur; hinc partium viscerumque induratorum nativus calor sensusque perit, et actio quaevis organica, vel cum aucto eiusdem volumine ac tumore vel contracta in parvam duramque molem substantia, sufflaminatur 1).

sic prae ceteris colendus illustr. Ioh. P. Frank de re indurationis.

si vero ratio specifica, discrasica causam inflammationis praebuerit vel in partem influxerit inflammatam maligna saepe degeneratio extravasati praestat, in quo essentiale scirrhi et discrimen scirrhum inter et indurationem aliam simplicem situm.

scirrhus est ergo: fluidi per inflammationem extravasati degeneratio maligna, quae in specifica ratione

---

1) vid. Joh. P. Frank. de curand. homin. morb. epitome lib. II. §. 129. pag. 16.

dyscrasica causam invenit. saepissime scirrhus externas sequitur laesiones, praesente statu cacochymico, interdum et permanentes chronicae inflammationis affectiones etc.

Quamque inflammationem hunc exitum praebere possibile. —

Quisque scirrhus propriam malignitatem et inclinationem in carcinomatosam evolutionem ostendit, unde scirrhus semper magni momenti malum, et periculosius, si scirrhus in organo nobile situm.

Scirrhus omnibus corporis partibus obvenire potest induratis; saepissime tamen glandularum systemati occurrit 1) haud raro et in utero invenitur, quem statum morbosum nunc proprius pertractandi tempus erit.

Symptomatologie.

Symptomatum, huic aegritudini distributorum, series non exigua sed saepissime et medicum in errorem ducere potest, unde malum cognitu non facile, et perdiffiiçillimum si scirrhus parvus et incipiens.

Symptomata graviora sequentia sunt.

Irregularitas mensium, memoratu dignissima. — fluxus normalis deest, saepe haemorrhagia uteri 2)

---

1) vid. Frank loc. cit.

2) Vorzüglich gehört hieher der Scirrhus und Krebs der Gebärmutter, der gewiss von Gebärmutter Blutflüssen ausser der Schwangerschaft nach meinen vielfältigen Erfahrungen die häufigste Ursache ist; zuweilen stellen sich heftige und periodische Blutflüsse ohne Schmerzen ein, und man bemerkt durchs Zufühlen

saepe suppressio tenax saepe effluxus dolorificus nascuntur. — non raro fluor albus accedit, qualitatis acris et causticae defluentis muci; — fluor albus plerumque tempus inter fluentes menses explet; cedit, si sanguis fluere incipit et fluxu cessante statim recurrit, saepe etiam permanet, et simul cum sanguine defluit.

Plerumque corporis alieni sensus in uteri regione nec non dolores punctorii, interdum valde dolorifici subveniunt, — haud raro et cruris paracusis quasi et vitalitas diminuta cumdolore et cum tumescentia varicosa et oedematosa; — simul dolores, rheumaticis similis in regione lumbali et in tergo, uti in morbo haemorrhoidali inveniuntur. —

Si vero malum longe iam progressum, facies pleramque pallescit oculi halonibus cincti luridis languescunt, habitus totus cachecticus morbosus. —

Interdum prurigo pudendarum muliebrium occurrit, quae vero haud raro et ab ascaridibus, a suppressione menstruorum, a varicibus et a pillis oritur, quapropter medicus semper praecautus in diiudicaudo se ostendat.

phaenomena maximi momenti sine dubio contem-

---

aber noch nichts von einer Anschwellung und Harte der Gebärmutter, auf einmal hören die Blutflüsse auf und der vollkomne Scirrhus ist da. — Zuweilen entsteht der Scirrhus. und nachher folgt die Haemorrhagie — — — — — der Muttermund ist hart, mit schwamigen Auswüchsen besetzt, und hat Risse. Reil über die Erkennt. u. K. der Fieber. 3ter Band (Halle 1805.) p. 306.

plando statu praeterlapso, et utero manualiter explorando profluunt. —

Si metritis antecedisset, non perfecte resoluta, hic exitus haud raro invenitur; in quo casu non omnia inflammationis signa recedunt, menstruorum fluxus innormalis fit, saepe fluor albus, et dolores punctorii in regione uteri oriuntur etc. Contemplatu dignissima quaequa ratio dyscrasica, sit generis syphilitici seu chronici rheumatici, seu scrophulosi etc. praecipue si uterus per se iam statu erethico nervoso laborat. —

Magni momenti semper est graviditas antecessa, et partus valde difficilis; si in anxilium instrumenta vocata, si placenta vi soluta etc.

Minime transeunda est suppressio fluxus mensuum aut lochialis etc.

Et in Aeteologiae tractatione plura huc spectantia supra recensentur.

In exploratione digitus, si scirrhus explorabilis. tumorem inaequalem, duritie insignem, dolorificum sentit, qui saepe ob gravitatem ad perinaeum, praecipue in stando, descendit. — Interdum et uterus ad unum alterumve latus se inclinat. Orificium uteri magis minusve apertum; — scirrho labia seu collum corripiente, harum partium asperitas et inaequalitas digito occurrit. 1)

Scirrhus uteri saepissime aetate provecta oritur, praecipue in stadio decrepiditatis.

---

1) Vid. Schmalz, Versuch einer medicinisch - chirurgischen Diagnosik. Dresden 1816.

Scirrbus uteri facillime cum morbis aliis uteri confunditur, quare nonnullos describere, cum quibus est confundendus, fas erit. —

Induratio uteri benigna; molestiae sunt similes, uti in scirrho, sed fluxus menstruus minus est inaequalis, dolor in pelvi minus pungens et scindens, et tactu non augendus; — Simulque in hoc casu carent omnia alicuius dyscrasiae symptomata.

Induratio calculosa uteri, de calculis in utero plura exempla Wendelstadt 1) collegit. Ipse Hippocrates casum huc spectantem memorat, neque minus William Bromfield 2), aelius 3), sal. Diversus 4), Sennert 5), Venette 6), Louis Duret Schenk de Graafenberg — quos Wendelstadt 7) notat, de calculis uteri loquuntur.

Calculi non solum in cavo uteri, sed etiam in substantia ipsa occurrunt qui casus praecipue hic memorandus.

---

1) Wendelstadts Wahrnehmungen am medicinischen und chirurgischen Krankenbette. I Bd. 2s Buch. Osnabrück. 1801.

2) Will. Bromfield chirurg. observations and cases Vol. II. p. 218.

3) Aelii serm. 4. caq. 98.

4) Pract. altimar. cap. 113.

5) Pract. mod. de morb. mulier. et infant. lib. IV. P. II. S. II. Cap. XIV. p. 204.

6) Traite des pierres etc. p. 184.

7) Loc. cit. p. 241.

Schenk de Graafenberg narrât, totum uterum una cum vesica urinaria in degenerationem lapideam versum te invenisse, uteri pondus crat liber VII.

Symptomata huc occurrentia, sunt 1), dolores prementes in regione pubis lumbali et in cruribus, unde haud raro claudicatio, — gravitatis sensus, prurigo pudendarum dysuria, ischuria, graviditatis symptomata Sterititas, fluor albus, hydrometra, foetor, puri effluxus, haemorrhagiae. Exploratione manuali alculus vero a scirrho discernendus est. — Interdum quidem diiudicatio difficilis.] Tum iuvat Causarum antecedentium contemplatio.

Tumor inflammatorius uteri. — Diaguosis facilis est. Tumor quidem dolorificus, sed non tali duritie insignis; celeriter crescit et in exitum abiit.

Steato mata, symptomata, hunc morbum indicantia sunt praecipue, graviditatis sensus, dolor obtusus, tamen pressione insigni modo augendus, molestiae in mingendo et alvo deiicienda 2), et in stando, menstruatio annomalis tum nimis aucta, tum nimis parca, tum dolorifica, tum suppressa, haud raro et fluor albus, acris plerumque, occurrit.

Steatomata si parva, cognitu difficillima, tunc vero molestias paucas causant. — Si magna, tactu diiudicanda sunt.

---

1) Wendelst. loc. cit. p. 171. in der Note. Schmalz Tabellen.

2) Quae et in uteri Scirrho haud raro occurrunt. vid. Hufeland's Journal 9r Bd. 1. St. pag. 140.

Si Steatomata in collo uteri sita, labia uteri tuberosa, magis minus ve dura apparent, sed non dolorifica.

Polypus uteri. Signa sunt in 'gradu graviori scirrhi symptomatibus similia, ut dolor obtusus, in regione pubis, sensus gravitatis in pelvi, sensus graviditatis; alvus obstructa. molestiae urinam mittendi — Ischuria — fluxus menstruus irregularis, fluor albus.

Sed tactu polypus cognoscitur; et durities insignis deest, signum scirrho essentiale.

Qui sunt praecipue morbi, cum quibus scirrhum confundere possibile.

non praetereundum est, nonnullos in scirrho uteri et dolores punctorios mammarum invenisse, earumque indurationem partialem, verisimile ob connexum uterum inter, et mammas.

In genere huc valet regula, unum alterumve signum ad diagnosin construendam non sufficere, sed symtomatarum omnium et causarum antecedentium contemplationem medico formam morbi destinare, debere.

Prognosis.

In genere morbus prognosin malam promittit

Praecipue contemplanda sunt:

1. An scirrhus sit parvus et incipiens seu extensus et inveteratus, saepe uterus totus scirrose degeneratus, in quo casu prognosis sane pessima.

2. An scirrhus sit magis benignus, anne magnam proclivitatem in carcinoma transgredendi habeat.

3. An Discrasia corporis universalis talis sit, ut facilis remotu, nec ne; prognosis semper pessima, si siphilis melior, si exempl. gr. Rheumatismus chronicus scirrho subiacet.

4. An Aegrota sit robusta, vasta, an cachectica, enervata, debilitata, in quo casu prognosis exitum modo tristem promittit.

5. An aliae corporis functiones alienatae scirrhum associantur nec ne. — Quaeque complicatio morbum facit graviorem.

6. Qua causa sit provocatus scirrhus, an sit mechanica — Ictus, seu contusio in partu etc. — an sit primaria discrasica.

7. Quem locum Scirrhus occupat, an uteri fundum, an collum, in quo casu melior est prognosis.

8. Mala est porro prognosis, si partes — ut haud raro observatum — utero coniunctae, (Exempl. grat. tubae fallopii, ovaria, vagina, ligamenta uteri lata et rotunda, vesica urinaria, intestinum rectum, mesenterium) degeneratae sint.

Nonulli sunt, qui contendunt, uterum scirrho laborantem, semper partes approximatas scirrhosas concomitari, quod falsum multae indicavere sectiones, ubi unicus uterus scirrhose degeneratus, et in statu normali erant partes ceterae; —

Nonullae observationes docuere. in graviditati malum intermittere, post partum autem eo celerius crescere.

Gravidis utero scirrhoso affectis partus minatur

difficilis; namque uteri ruptura illis facile subvenit; ceterum Scirrhus plerumque sterilitatem causat. 1)

Transitus in carcinoma prognosin constituit malam; Signa, quae hunc transitum pronunciant, in sequentibus sunt sita;

Dolor uteri et partium coniunctarum (vid. symptomatologiam) se usque ad crura extendtt, qui vespero vehementius invadit, et praecipue noctu saevit

Orificum uteri tangendo valde dolorificum; mictum dolores gravissimi comitantur. — Febris hectica symptomatum seriem auget; — sanies tenuis et sanguinolenta ex vagina profluit, — excrescentiae, tympanitis, tenesmus — emaciatio apparent, et sub doloribus vehementissimis mors invadit. —

Interdum Haemorrhagiae graves, convulsiones, spasmi etc. morti antecedunt Scirrhus, si acmen tetegerit, plane insanabilis.

Malum, scirrhum incipientem facillime negligi, ea propter attentione dignissimum, si metritide antecedente functio uteri laesa, menstruatio anomala et partis sensibilitas nimis aucta est. —

Aetiologia.

Huc omnia spectant quae ipsum uterum irritare, eoque inflamationem gignere possunt. — Exempl, grat.

---

1) — — — uti et sterilitas fit, si aliter afficiatur; videlicet cancris, Schirris. obstructione, Callositate nimia pinguedine.

Th. Bartholin. Anatome IV. renov. p. 278.

1. Ictus, percusio, lapsum in uteri regionem.

2. Iniectiones frigidae; — Non superfluum erit, si damni mentionem facio, quod iniectiones frigidae producere possunt; — namque haemorrhagiae partim facillime redeunt, partim iniectiones frigidas causam morborum uteri praecipuam praebere, nondubitandum. 1)

3. Partus praematura et medicamenta emenagoga, quibus praecipue huius organi nobilis irritandi vis est; huc pertinet, omnium frequentissimus, abusus olei sabinae, ex iunipero Sabina.

4. Partus difficilis, imprudens instrumentorum adhibitio, perforatorii usus improvidus, versionis negotium incaute peractum, praecipue in feminis teneris vel aetate longe iam provectis.

5. Placenta, vi soluta, haud raro scirrhi uteri causam praebet.

---

1) Non possum, quin medici experiti iudicium, quod de frigidis iniectionibus fert, huc allegem.

„Da nun bei den kalten Einspritzungen gar häufig der Blutflufs, nachdem er eine Zeitlang gestanden, von Neuem wieder kömmt, auch von dem plötzlichen Eindruck der Kälte auf die Gefäfse des uterus dispotition zu organischen Fehlern zu befürchten ist, so sollte man billig die lauwarmen Einspirtzungen (die überhaupt mit dem übrigen Kurplan mehr harmoniren) öfter als bisher in Anwendung bringen, den Gebrauch der kalten aber (etwa auf sehr desperate Fälle?) einschränken —

S. F. v. Froriep, theoretisch-prakt. Handb. der Gebursh. Weimar 1818. §. 534. p. 487. 488.

6. Pessaria inapta, pression obnoxia.

7. Venus immodica, coitus frequentior mannstrupatio, unde haud raro scirrhus originem trahere solet.

8. Suppressio subita fluxus menstrualis, maxime quam frigus producit.

9. Suppressio fluxus lochialis, fluoris albi, haemorrhoidum fluentium, quae haud raro evenit.

10. Inflammationes huius organi frequentiores.

11. Dispositio propria erethica nervosa quo in casu debilitati exiguae erethismus auctus se adiungit.

12. Interdum evenit, ut in haemorrhagiis, orificio uteri clauso, globulus sanguinis coagulati in utero putrescat, ratione vere chemica in uterum reagat, et tali modo degenerationem scirrhosam procreet.

13. Pressio post partum, ligamentis et fasciis nimis arcte applicatis.

Omnia momenta memorata rationem praecipue assequuntur, si iamiam dyscrasia occurrit quae degenerationi scirrhosae maxime favet.

Cui quaestio arctissime est adnexa: an syphilis, scirrhum producere possit?

Equidem credo; syphilin vero ulcera syphilitica in orificio uteri, quam scirrhum frequentius gignere, mihi persuasum habeo.

Affectiones uteri rheumaticae non minus sunt obnoxiae (Rheumatismus uteri.)

Quae omnia et ad diagnosin constituendam, praecipue apta, quod praeterita cognita, quam maximum proferunt auxilium, ut praesentia intelligantur.

Therapia.

Therapia summam attentionem desiderat.

In genere regulae scirrhorum curandorum et hic valent.

Cura igitur, ne corporis functionibus aliquid obstet, ne transpiratio cutanea, excretio urinae atque alvi emissio sint turbatae; remove omnia, quae systema reproductivum et assimilativum turbare possint. quod est ad therapiam maximi momenti namque sola metamorphosi auxilii spes remanet. — Eopropter sit diaeta roborans, sed magis blanda, (gelatinae animales inscula carnium concentrata, mucilaginosa) in victubus enim eligendis maxima attentio est adhibenda, nonne dispositio pblogistica adsit, quo in casu victu irritantiori malum modo augeretur; aër athmosphaericus in quo aeger versatur, purus sit, et temperiei aequalis; balnea adhibeantur tepida totius corporis, balnea solventia kalina, balnea ex kali sulphurato, sapone, sali culinari, balnea marina, balnea aromatica, vinosa, iusculis carnosis parata, ex siliquis, exempl. gr. ex siliquis polentariis, quae omnia constitutioni aegroti sunt adaequanda. —

Omnium aquarum, quas natura nobis suppeditat, sequentes sunt, quae famam in hoc morbo praecipue acceperunt: aqua aquisgranensis, aquae Badenses, Aq. Warmbrunensis, Aq. Nenndorfensis, Aq. Emsensis Thermae Toeplizenses, Therm. Wisbadenses. —

Quaeritur, an revolsentia scirrhi specifica extent, nec ne?

Resolventia scirrhi specifica non dantur, quae remedia

media auctores ut talia signavere, actionem omnium corporis functionum, praecipue systematis reproductivi augent, et tali modo lympham induratam iterum in metamorphosin reducunt; — Quare est manifestum haec remedia auxilium insigne in scirrhis removendis praebere.

Quibus sunt ad numeranda

Salia, prae aliis leniora, kali tartaricum, kali citratum —

Purgantia ex soda phosphorata (Clarke)

Kalia. Kali carbonicum — kali sulphuratum et caet.

Terrae ponderosae salitae utilitatem quam in degenerationes scirrhosas fert, Hufeland, Scherf, Klohss, Müller, Koch, et alii declarant.

Remedia amara solventia; Extr. saponariae, trifol. febrin, taraxac, fumariae, marub, polygal, et caet. a Dr. 2 ad Dr. 8. per diem.

Mercurialia, remedia maxime efficacia; calomelos praecipue usus continuus, usque ad ipsum ptyalismum si femina constitutione valida gaudet.

Narcotica, quam maxime laudata; aqua laurocerasi (Osiander).

Extracto aconiti in glandulas induratas, et tumores, quos scirrhosos fuisse mihi persuasum habeo, Collin, Störk, Mönch, Greding cum aliis magnam tribuere laudem.

Extr. Stramonii, in Spir. vini solut, et in forma pulveris, seu pillularum cum extracto Valerianae (Bertele) p. d. gr. 1/2 — 1—2.

Belladonna; si scirrhus magnam ad carcinoma

inclinationem haberet, certe remedium est magni momenti cuius utilissimam reactionem in scirrhum et cancrum, Aateaux, amoreux Cullen, Blok, Heister, Greding. Doevera Schmuker, Munch, quos Bertele, memorat, laudibus extollunt.

Evers contra scirrhum uteri belladonna feliciter usus;

Donrlac belladonnam contra scirrhosas intestinorum degenerationes laudat.

Lentin mammam scirrhosam belladonna sanavit.

Degner, linguae et mammae scirrhose degeneratis belladonnam eo applicavit eventu, ut status normalis rediret.

Tob. Lamberg, mulieri sanitatem restituit, cuius mamma una cancro et altera scirrho erat deprehensa, usu infusi belladonnae per quinque menses.

Extractum cicutae nonullis utilissimum ad huius morbi remotionem se ostendit; —cicutam Hoffmann et Cullen laudibus extollunt, praecipue si scirrhus a causa externa, mechanica originem duxit; ,

Collin in cicutae usu, signum habuit secundum, si scirrhus perdolorificus fiebat.

Stipitum Dulcamarae infusum non minus feliciter adhibitum est.

Nonulli et hyosciami extractum contra ulcera scirrhosa invenire efficacem.

Remedia roborantia et in scirrhum uteri ā medicis commendata, quae vero tantum virium corporis prostratio, uti auxilium palliativum ad universalem excitationem et praecipue systematis reproductivi poscat, si nempe eveniat, quod haud raro fit, ut ob debilitatem universalem et cachexiam metamorphosis nor-

malis non praestet, remediorum roborantium usus valde est laudabilis, ut vires corporis redeant, et omnibus functionibus auctis scirrhus evanescat; huc pertinet methodus roborans in sensu extensiori; (medicamenta tonica amara, adstringentia, calamus, colombo, china cum volatilibus, rad. caryophill, etc. cum liq. anod. m. Hoffm.; dein ferrum in forma Tr. ferri pomat. et cydoniat, et caet. — balnea roborantia — corporis motus pro ratione virium ambulatione equitatione, vel alio modo peragendus commoratio in aëre pura, — saluberrimum est aegro, si omnino ruri versari potest — animi, mentisque hilaritas etc.)

Si corpori robur est redditum paulim paulatim ad medelam resolventem transeundi tempus erit.

Irritatione chronica inflamatoria scirrhum sustinente et augente, sanguinis emissiones ex ani et pubis regione meliorem promittunt eventum, quae praeterea semper sunt indicata, ubi aucta congestio localis cum constitutione plethorica sanguinea est coniuncta,

Si scirrhum metastasis rheumatica produxerit, medelae contra rheumatismum locus erit; praecipue derivationes profundae, longe sustinatae, ulcera artificialia in unaquaque pelvis parte, utilissima iamiam fuere.

Si fluxus menstruus subito suppressus scirrhosae evolutionis esset causa, hanc secretionem caute incitemus.

Praeprimis huic statui conveniant pediluvia ex sinapi, ex potass., ex sal. culinar. — Sinapismi ad femoras vel suras, simul vestitus abdominis calefaciens, motus in aëre athmosphaerico puro frequens etc. — interna et arnica laudatur; non minus et gummi myrrha, si non status phlogisticus eius usum prohibeat; myr-

rhae reactionen in menstruorum fluxum iam cognovit Hippocrates. — Omne, qnod irritantius in uterum reagat tu recusa. —

Si grumulus sanguinis coagulatus, in utero clausus, putrescens scirrhi causam occasionalcm daret, in locum ipsum praecipue est agendum, ex. gr. iniectionibus etc.

Fluxu lochiali, fluore albo, haemorrhoidibus suppressis, eorum restitutio eventum habebit secundum.

Prae omnibus quaeque dyscrasia est removenda, quod plurime ad sanitatis restitutionem adfert; qua propter mox in rheumatismum, mox in syphilin, mox in scrophulas, mox in scorbutum agimus, et tum flor. sulph. gi resin. Quaiac., Antimonialia, Sulpbur. stib. aurant., aethiop. antimon; Vinum stib. Huxh; martialia cum China; calomel, acria, rad. Zingiberis narcotica, extr. aconit, Extr, Hyoscyami, Extr. cicut, — kalina, saponem etc. — tum praccipue mercurialia (contra syphilin), tum remcdia iam memorata et terram sponderos. salit, — calc. muriat, — calc. carbonicum (Carmichael) — tum acida, Elix. acid. Hall., acid. muriat, cum tonicis et aromatico tonicis, cort. chin., cort. aurant, cort. cinnamom, rad. angelic. rad. gentian, rad. calam. aromat., rad. zingib. et cect in usum trahimus.

Curam topicam, quod attinet, hic praeter aliis sequentia occurrunt medicamina.

Iniectiones remediorum mitium, mundantes, ex decoct. alth. cum lactc, ex solutionib. gi. arab. gi. tragacantb. cum lacte, mucilag. scmin. cydonior. cum amylo etc.

Inicctiones aquae calcis cum lacte. —

Praecipuam famam acccpere: narcotica, iniicien-

dis addita, ex. grat. extr. cicut — extr. hyoscyam — et nicot. et belladonn. infusa, seu cicut. decocta. —

Osiander magnam iniectionibus aquae laurocerasi tribuit utilitatem.

Si scirrhus posteriorem tenet uteri partem, et clysmata ex decoct. alth. e semin. lini haud sine effectu sunt applicata.

Barthez 1) in scirrhum prostatae medelam, quam Chambon instituit, efficacem invenit.

Chambon simul cum remediis resolventibus balneisque et clysmata parva ex decoct. rutae, cicut, et Hyoscyami adhibebat, quibus sal amoniacum adhuc admiscebat.

Sine dubio simile et scirrho uteri quam maxime conveniat.

Ferrum carbonicum, (carbonas ferri) Carmichael magnis laudibus extollit, rotuli ex ferro carbonico. cum gi. arabico parati, in aqua tepida paululum emolliendi uteri orificium adponuntur.

Utilitatem haud raro unguentum mercuriale attulit, quod perinaeo est infrictum.

In prostatae scirrhum et unguentum mercuriale laudant Wichmann 2); et Sömmering 3).

---

1) Barthez Abhandlung über die Gichtkrankheiten, (aus dem französ. von Bischoff. Wien 1807.) Thl. II. p. 230. §. 82.

2) J. Wichmann Ideen zur Diagnostick. Wien 1807. Thl. III. p. 285.

3) Abhandlung über die schnell und langsam tödtlich. Krkhtn. der Harnblase und Harnröhre bei Männern im hohen Alter. (Gekrönt. Preisschrift) von Samuel Thom. Soemering pag. 141. §. 108. (Wien 1801.)

Attamen non praeterire possum, quod Heberden 1) contendit, quem et Soemering notat „in prostatae scirrho medicamenta et hydrargyro nocent.“ —

Simul ſomentationes ex rebus aromat., narcoticis et emollientibus, abdomini admotae maximi ſuere commodi; et ſerrum aceticum oxydatum (acetas ſerri) in scirrho uteri externe ut ſomentum cum effectu est adhibitum.

Interne et externe arsenicum iam proſuit et maximam ſamam acquisivit; in ſorma ſerri arsenicosi (Carmichael), solutionis arsenicalis Aloysii Brera (ex kali arsenicoso parat. p. d. gtt. 6 — 12) seu solution. arsenicalis Dr. Harles (ex natro arsenicoso p. d. gtt. 6 — 12) s. solutionis arsenical. Thom. Fowler (ex kali arsenicoso p. d. gr. 4 — 8).

Opium arsenico admiscere plurimi medici comendavere.

Iniectiones ex solutione ferri phosphorici in scirrhum et cancrum uteri cum effectu secundo applicasse, affirmat Osiander.

Caeterum non praetereundum, totum uterum iam exstirpatum esse. Quae exstirpatio pluribus tantum utero prolapso possibilis videbatur. Exstirpationem uteri prolapsi tempus longe iam peractum novit.

„in prolapsu putreſactum citra periculum, totum ſere abscissum (uterum) observarunt Rhases, Carpus, Mercurialis Langius, C. Wega, Paraeus, Bauhinus et alii; — Fernelius a se visam reſert

---

1) Comentarii de morborum historia. Francof. 1804. Cap. 77.

puerperam, quae una cum foetu uterum radicitus evulsum absque vitae dispendio emiserit." —

Bartholini Anatome IV. renovat p. 274. Similem casum Müllner 2) narrat Operationem bene successam, in uno casu, teste medico experientissimo, tumores in ventre sunt persecuti, unde Hydrops et mors; quapropter verisimile Scarpa vetet, scirrhum exstirpare, qui a universali statu morbosoa statu dyscrasico — originem trahit, quod scirrhus alio loco saepissime in conspectum veniat 1). Brooks, fonticulum magnum in pubis regione ponere, et ad vitae dies sustinere, proposuit. —

Quae operatio certe refugium est ultimum, si alia spes disparet.

---

2) Müllner. Nachricht von einer samt dem Kinde ausgefallenen Gebaumutter. Nürnberg. 1771.

1) Weikard. medicinisch prakt. Handbuch Bd. 1. pag IV.. Bd III. pag. 4.

CURIRCULUM VITAE.

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Johannes d'Alquen Arnsberga - Guestphalus anno millesimo octingentesimo mente Septemb. natus. Litterarum elementis in scholis inferioribus imbutus, gymnasium quod ibi in flore est, per Sexennium frequentavi. — Cursu, in Gymnasio rite absoluto, urbem Monasterium profectus atque arti salutari nobili, ad quam animum semper converti, me addixi. Anno MDCCCXVII ibi civium academicorum nnmero adscriptus, Cel. Roling in physice, in chemia, pharmacologia, atque in arte formulas medicas concinnandi Cel. Bodde, de morbis mentis atque animi Cel. Haindorf, de botanice et historia naturali Cel. Werneking audivi Anno elapso Giessam me contuli, ubi die XIV. mens. Novemb. MDCCCXVIII rectore Cel. Rumpf numero civium academicorum adscriptus et per duos annos

Studium artis medicae persecutus sum. — In anatomia, in historia naturali et in physiologia praelectionibus Cel. Wilbrand interfui; de arte obstetricia et chirurgica Cel. Ritgen audivi; in pathologia et generali et speciali, nec minus in therapia speciali, et in clinicis exercitationibus Cel. Balser praeceptorem adcineres usque summa veneratione colendum et diligendum habui. — in therapia generali Cel. Vogt audivi. —

In aestate MDCCCXXI universitatem litterariam berolinensem petii, ubi rectore illust. Lichtenstein numero civium academicor. legitime adscriptus sum. — Scholis clinicis illust. Hufeland atque illust. Berends interfui, atque illust. Horn de morbis syphiliticis, Il. Richter de morbis infantum audivi.

Iam tentamine et examine rigoroso rite peractis, spero fore, ut post hanc dissertationem rite defensam Summi in medicina honores, more maiorum in me conferantur. —

THESES DEFENDENDAE.

I.

Lythiasin et Arthritidem morbos esse tantum in forma diversos, contendo.

II.

Dentitio pathologica omnino non neganda.

III.

In ascite punctionem abdomis remedium modo palliativum esse, et haud raro malum ipsum augere, mihi persuasum habeo.